

# THESES THEOLOGICAE QVAS PRO GRADVS SVI REPETITIO.

ne tuebitur iam ad Facultatem Theologicam Archigymnasij Viennensis receptus  
 R. P. Maximus Brixensis S. Theologiæ Doctor, Ordinis Fratrum præ-  
 dicatorum: respondente Magistro Ioanne Equello Sacræ Theologiæ  
 Baccalaureo, publico Ethices professore in eadem  
 Academia Viennensi.

## PRIMA THESIS.

**C**HISTVS DEI ET HOMINIS FILIVS IN MVNDVM VENIENS, TRIVM PERSO-  
 narum p̄tes & officia suscepit: Prophetæ, Regis, & Sacerdotis, cum ad illorum munerum functionem, cælestis patris virtute in sanctissimam ipsius  
 animam spiritus sancti plenitudo gratiarum & omnium donorum effusa est: iuxta illud Prophetæ Regij Psalm: 44 Dilexisti iustitiam & odisti iniqui-  
 tam, propterea vñxit te Deus, Deus tuus oleo latice, præ consortibus tuis.

## II.

**T**anquam summus Prophetæ, & Magister multò quād ylli alij luculentius & accuratiūs nos Dei voluntatem docuit, eiusq; doctrina Orbis terrarum cælestis  
 patris cognitionem accepit. Erat enim lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, tametsi mundus eum non cognisit. Omnes autem  
 Prophetæ, Prophetam hunc ad saluandos omnes venturum esse prænunciārunt.

## III.

**N**on solum vt Deus, verum etiam vt homo ac nostræ naturæ Princeps, Rex agnoscitur, de quo Angelus testatur: Et regnabit in domo Iacob in aeternum,  
 & regni eius non erit finis. Quod quidem aeternum Christi regnum spirituale est, non de hoc mundo, nec humanis subnixum viribus: in terrisq; inchoatum,  
 in caelo perficitur. Regnum enim Dei, inquit intra vos est. Et iterum, Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra, oportet autem illum regnare, donec  
 ponat Deus pater omnes inimicos sub pedibus eius, ait Apostolus.

## III.

**C**hristus non ex ordine Leuiticæ tribus, ex quo extiterunt in veteri lege sacerdotes: sed secundum ordinem Melchisedech pontifex factus est in aeternum,  
 sanctus, innocens, impollutus, qui non habet necessitatem quotidie prius pro suis delictis hostias offerre quemadmodum alij sacerdotes: deinde pro populo: hoc  
 enim fecit semel se offerendo, cum per proprium sanguinem introiuit semel, in sancta aeterna redemptione inuenta. Summus ille sacerdos & Euangelicus Sa-  
 maritanus Sacra menta relinquere in Ecclesia voluit, per quæ Paſſionis suæ & cruentí sacrifičij fructum communicaret fidelibus.

## V.

**Q**uae quidem Sacra menta Catholica Ecclesiæ septenario numero definita sunt, sicut de eorum vndequoq; & ex scripturis probatur, & patrum traditione  
 ad nos peruenit, & Conciliorum testatur Authoritas. Sunt autem ad salutem necessaria, licet non omnia singulis. Baptismus enim omnibus, paenitentia illis  
 tantummodo, qui post Baptismum aliquo mortali peccato se obstrinxerunt.

## VI.

**E**cclæsa sancta Catholica & Apostolica una est: unus est eius Rector & gubernator: invisibilis quidem Christus, quem aeternus pater dedit caput super om-  
 nem Ecclesiam quæ est eius corpus. Visibilis autem is qui Romanam Cathedram Petri Apostolorum Principis legitimus successor tenet: visibilis enim Ecclesia  
 visibili eget capite. Quem quidem Petrum caput ac pastorem universi generis fideliūm salvator instituit, cum illi oves suas pascendas verbis amplissimis com-  
 mendauit.

## VII.

**S**ummus pontifex suam potestatem non ab Apostolis, aut à concilijs generalibus, sive ab universalis Ecclesia: vel Collegio Cardinalium: sed à Christo sal-  
 uatore nostro immediatè accepit. Quare cunctis de orbe terrarum fidelibus cuiuscunq; gradus, aut conditionis sint iure diuino precipere potest: atq; eodem iu-  
 re illi in omnibus obedire tenentur, cum in ijs quæ ad mores, tñm in ijs quæ ad fidem pertinent. In his enim quæ Apostolatus sui iudicio fide credenda, aut  
 reiencia definit, aut iudicat diuina promissione nixus, errare non potest.

## VIII.

**I**udicium de scripturis per scripturas ipsas nullo pacto idoneum esse potest, neq; etiam ad priuatos Reip: Christianæ Ciues de scripturis Canonicis pertinet iudi-  
 care: sed ab Ecclesia, & eius pastore, atq; adeo in generali Concilio est determinandum quisnam liber sit pro Canonico habendus aut non habendus.

Disputabuntur in auditorio Theologie Ar-  
 chigymnasij Viennensis hora VII. matu-  
 tina die VII. Mensis Ianuarij Anno  
 Domini. M. D. LXXIII.

THESE THEOLOGICAE  
GAVAS PRO GRADAS SAI REPTITIO  
R. B. J. M. P. T. B. T. B. T. B. T. B.  
A. 1573.